

aperturalis profunda, medioeris; apertura semiovalis, intus livido-fusca; perist. incrassatum, reflexum, marginibus superne convergentibus. — Long. 24, diam. vix 10 mill. Ap. 9 mill. longa, 8 lata.

Patria

10. *Balea Sarsii* Phil.

T. sinistrorsa, subperforata, oblongo-turrita, striatula, nitida, olivaceo-cornea, pellucida; spira acutiuscula; anfr. 7 convexi, ultimus basi rotundatus; columella substricta, recedens; apertura oblongo-semiovalis; perist. simplex, expansiusculum, margine sinistro sinuoso-dilatato. — Long. 6, diam. $2\frac{1}{4}$ mill.

Patria: Norvegia. Misit Cl. Sars.

Testaceorum novorum centuria.

Descripsit Dr. A. R. Philippi.

(Continuatio.)

15. *Donax Hanleyana* Ph.

D. testa oblonga, pallida, valde inaequilatera, acute carinata, anterius omnino laevi, versus carinam striis impressis radiantibus sculpta; area postica medio distincte angulata, in parte inferiore lineis elevatis radiantibus quinque granosis, in parte superiore liris elevatis concentricis, striisque radiantibus impressis decussata; margine dentato, in angulo postico spinoso; dentibus lateribus validis. Long. $16\frac{1}{2}''$; alt. $10''$; crass. $7''$.

Patria?

Forma cum D. elongata convenit, sed carina distinctior, acutangula, sculptura areae longe grossior, dentes marginis duplo pauciores, ad summum 50, in angulo an-

tico longe producti; dentes laterales cardinis validi (in *D. elongata* anticus fere obsoletus), medianus valvulae dextrae simplex; sinus palliaris major. — Apices violacecent, tota pagina interna violacea est.

Libenter pro *D. rugosa* haberem, sed Linnaeus Mus. L. Ulr. p. 499 cardinis dentes marginales nulos vocat, Chemnitz illi p. 256 dentem cardinalem medianum bifidum tribuit, quod in nostram non quadrat, neque in fig. Chemnitziana pars postica biangulata, ut in nostra. Chemnitz autem *D. rugosam* cum *D. elongata* commiscuit.

16. Cytherea callipyga Born.

C. testa rotundato - ovata, sublenticulari, in utroque latere transversim striata, medio laevi, varii coloris, albida lineis punctisque violaceouscentibus picta, vel maculata magnis rufis aucta, vel fere omnino rufa; lunula lanceolata, parum distincta; area nulla; apicibus minimis haud involutis. Long. $17\frac{1}{2}''$; alt. $15''$; crass. $9-10''$; juniores magis compressae.

Venus callipyga Born Mus. p. 66. t. V. f. 1. exclus. synon. Bonn. Recr. Cl. II. f. 62 quae *Pectunculus stellatus* Lamk!!

Patria: Mare Rubrum? Patria Ulyssipo falsa, ex falso citato Bonnanii orta.

Haec species quoad colorem exacte cum *C. adenensi* convenit sed forma magis orbiculari, magis aequilatera, sulcis in parte mediana testae prorsus deficientibus valde differt. A *C. arabica* apicibus non prominulis, non involutis, lunula lanceolata, area nulla, praeter partem testae medianam laevigatam differt. — Lineae in parte antica regulares rimatae, tactui asperae, in latere postico modo rugas incrementi habes.

Color nimis variabilis a) lutescens, characteribus angulatis fuscis, stella alba ad apices: Born l. c.; b) alba, punctis, rarisque characteribus rufo-caeruleis picta, stella nulla (vidi in coll. cl. Anton); c) alba, characteribus an-

gulatis maculisque duabus magnis fuscis, stella parva caerulea; d) rufa characteribus paucissimis fuscis, stella nulla.

Obs. Verba Bornii: striis transversis inaequalibus, testa parumper complanata in C. arabicam, quacum conjugere vult Cl. Deshayes, non quadrant.

17. *Cytherea Pfeifferi Ph.*

C. testa rotundato-ovata, transversim rugoso-sulcata, varii coloris, alba, lineis flexuosis rufo-purpureis reticulata; lunula lanceolata, parum distincta; area elongata, profunda; apicibus minimis haud involutis. Long. 17"; alt. 14"; crass. 9".

Patria . . .

Coloribus fere omnino cum C. adenensi et C. callipyga convenit, sed differt a priore: testa minus elongata, magis tumida, sulcis seu potius rugis longe distans, area angusta, profunda, ultra ligamentum extensa. A C. callipyga distinguitur sculptura diversa, eademque area profunda, ultra ligamentum extensa. A C. arabica denique praeter formam magis elongatam minusque tumidam apicibus haud prominentibus, lunula lanceolata, ligamento minus infosso satis discrepare videtur.

18. *Venus s. Cytherea tellinaeformis Ph.*

V. testa ovata, compressa, alba, posterius rostrata, transversim confertim et argute striata; apicibus haud incurvis, minutis; lunula anguste lanceolata, area linearilanceolata profunda; dentibus cardinalibus in valva sinistra quatuor divergentibus, tertio maximo. Long. 11"; alt. 9"; crass. 5".

Patria . . .

Unice valvulam sinistram speciei admodum singularis habeo. Cardo inter Veneres et Cythereas ambiguus; numerus dentium ut in Cythereis, sed positio eorum ut

in Veneribus; forma vero Tellinarum, sinus palliaris magnus horizontalis, angustus, usque ad $\frac{2}{3}$ longitudinis productus. Cardinis dens tertius maximus; nympha $2\frac{1}{2}''$ longa, minime prominens.

19. *Venus (Artemis) Kröyeri Ph.*

V. testa orbiculari, compressa, lenticulari, tenuissime transversim striata, tenui, lactea; apicibus parvis, uneinatis; lunula cordato-lanceolata, parum distincta, area nulla, loco ejus testa compresso-carinata; ligamento subineluso; lamina cardinali lata; dente postico valvae dextrae maximo, profunde bipartito. Long. 12''; alt. $11\frac{1}{3}''$; crass. 6''.

Patria: Chile, Peru; legit cl. Kröyer, cui hauc speciem dicatam esse volo.

Haec species ex mea sententia ad Artemides proxime accedit, licet nullum dentis lunularis vestigium adsit; loco ejus cavum satis magnum in utraque valva. Sinus palliaris eandem forinam habet, impressio muscularis antica vero angusta, elongata, peculiaris. — Testa tenuis, forma, sculptura, color fere exaete ut in *V. undata* Penn. sed lamina cardinalis lata nostrae, dentes cardinales, sinus palliaris, impressio muscularis antica gravissimas differentias sistunt. — Habitus etiam ad *Diplodontas* accedit.

20. *Venus Largillierti Ph.*

V. testa ovata, postice subtruncata, sulcis transversis ad latera et marginem demum launellosis, striisque radian-tibus tenuioribus sculpta, rufo-albida, ad apices ferruginea; lunula lanceolata parum distincta; area nulla; limbo angusto laevi ligamentum prominens cingente. Long. 25''; alt. $18\frac{1}{2}''$; crass. $11\frac{1}{2}''$.

Patria: Nova Zeelandia, comm. cl. Largilliert.

Forma fere eadem atque in *V. decussata*, sed magis inaequilatera; apices enim ad $\frac{1}{5}$ longitudinis siti sunt; magis tamen convenit *V. pullastra* Mont. etiam

sculptura. In nostra vero sulci transversi magis distantes, lamellae multo magis distantes, multo magis distinctae et elevatae; margo ventralis et dorsalis magis convexi; ligamentum prominens, quod in V. pullastra in fundo areae profundaee latet, unde etiam nymphae diversae. Sinus palliaris in nostra minor. Dentes duo in valva dextra bifidi, in sinistra modo medianus distincte bifidus.

21. *Venus rimosa Ph.*

V. testa ovato-oblonga, pallide fulva, inferius violacecente, lineis rufis aut violaceis angulato-flexuosis reticulata, laevi, lineis tamen impressis margini ventrali subparallelis, utrumque latus non attingentibus exarata; caeterum V. textili similis. Long. 24"; alt. 14"; crass. 8".

Patria: . . .

V. textili simillima sed minus solida, margo ventralis paullo magis arcuatus, colores vividiores, rete linearum obscurarum delicatius, et sculptura valde insignis. Sinus palliaris paullo major.

22. *Venus semirugata Ph.*

V. testa ovato-oblonga, fulva, strigis violaceouscentibus angulatis in ziczac flexis pieta, sulcis transversis undatis postice abruptis pieta; margine ventrali parum arcuato, antice adscendente; dorsali utroque fere rectilineo, posticoque declivi; lunula lanceolata parum distincta. Long. 24"; alt. 15 $\frac{1}{2}$ "; crass. 9 $\frac{2}{3}$ ".

Patria . . . (exstat in collectione Dunkeri).

Summopere affinis V. rotundatae L. (papilionaceae Lamk.) sed diversa: testa breviore, tumidiore, lunula vix distincta, non impressa, sculptura diversa. In V. rotundata lineae impressae interstitia plana habent, in V. semirugata interstitia sulcorum rotundata veluti undae. Sinus palliaris fere duplo brevior quam in V. rotundata.

23. *Venus sulcosa Ph.*

V. testa ovato - oblonga, subtriangulari, carnea, radiis purpureo-fuscis interruptis pieta, sulcis grossis undaeformibus transversis omnino sculpta, quorum alterni antice marginem non attingunt; margine ventrali parum sed aequaliter arcuato; dorsali utroque fere rectilineo, aequaliter declivi; area lanceolata, lata, laevi; lunula lanceolata, plana. Long. $30\frac{1}{2}''$; alt. $19\frac{1}{2}''$; crass. $13\frac{1}{2}''$.

Patria . . .

Etiam haec species V. rotundatae L. (papilionaceae Lamk.), amabili, euglypta etc. valde affinis sed forma subtriangulari, sulcis undaeformibus, non omnibus marginem anticum attingentibus, area lata etc. facile ab iis distinguitur. — Sinus palliaris in ea sicut in V. amabili fere duplo brevior quam in V. papilionacea.

24. *Venus euglypta Ph.*

V. testa solida, ovato-oblonga, fulvo-carnea, radiis purpurascensibus pieta; liris transversis crassissimis valde elevatis, interstitia aequantibus sculpta; margine ventrali rectilineo, antice adscendente, dorsali utroque rectilineo; extremitate postica subtruncata; labiis lunulae valde elevatis. Long. $22\frac{1}{2}''$; alt. $14\frac{1}{2}''$; crass. $9\frac{1}{4}''$.

Patriam ignoro.

Affinis V. rotundatae L. (papilionaceae Lamk.) sed minus inaequilatera — apices enim ad $\frac{2}{5}$ longitudinis siti sunt —; extremitas postica longe altior; margo dorsalis anticus propter labia elevata rectilineus nec concavus; sculptura valde insignis. — A V. exarata Ph. sulcis triplo saltem crassioribus distantibus, labiisque lunulae statim dignoscitur, a V. amabili soleis magis elevatis, magisque distantibus, extremitate postica altiore, lunula marginaque lunulari rectilineo facile distinguitur. — Sinus palliaris duplo brevior quam in V. rotundata.

25. *Venus eximia Ph.*

V. testa subtriangulari, cordata, albida, strigis rufis in ziczac flexis ornata, vel rufescente subunicolore; lamellis transversis erectis confertis crenatis sculpta; interstitiis radiatim striatis; extremitate antica rotundata, postica elongata, rostrata; margine postico dorsali parum convexo; lunula cordata, sulco profundissimo cineta, plana, lamellosa; area lanceolata, laevi, in valva sinistra duplo latiore, strigis rufis pieta; margine interno crenato. Long. 37^{mm}; alt. 29^{mm}; crass. 22^{mm}.

Patria: Indiae Occidentales.

Species nostra simillima V. Lamarckii Gray C. cancellatae Pfr. Krit. Regist., (Chemn. V. fig. 306. 307), sed diversa 1) magnitudine longe majore; 2) lunula minore, minus impressa, lamellosa, nec radiatim striata; 3) striis radiantibus confertioribus, minus distinctis, lamellisque transversis frequentioribus; 4) cardine tridentato, absque ullo vestigio dentis lunularis. — Pagina interna alba, sinus palliaris acutangulus parvus, impressionem musculi adductoris adjacentem vix aequans. In valva dextra dens posticus cardinis maximus, subbifidus, in sinistra dens posticus minimus, medius maximus, bifidus.

26. *Venus amabilis Ph.*

V. testa ovato-oblonga, carnea, radiis obscurioribus obsoletis, strigisque violaceis ziczacformibus pieta; liris transversis regularibus elevatis, planis, interstutiis latioribus pulcherrime sculpta; margine ventrali regulariter arcuato, antice adscendente; dorsali antico concavo; lunulae lanceolatae labiis vix elevatis. Long. 34^{mm}; alt. 21¹/₂^{mm}; crass. 12¹/₂^{mm}.

Patria . . .

Differt a V. papilionacea Lamk. seu rotundata L.: margine ventrali magis arcuato, unde testa magis alta; sculptura valde diversa; lunula breviore, non concava. A V. euglypta discrepat: margine ventrali

arcuato, liris minus elevatis; margine dorsali antico concavo, labiis lunulae haud elevatis. — An V. crassissula Lamk. nr. 53 eadem sed decolor? Hujus speciei unica valva in Nova Hollandia lecta, eaque albida, immaculata in Musaeo Parisiensi exstat, et diagnosis ejus nimis brevis et insufficiens est.

27. *Venus araneosa Ph.*

V. testa ovato-oblonga, transversim sulcato-striata, lineisque radiantibus obsoletis decussata, albida, lineolis angustis, rufis, angulato-flexuosis picta; extremitate postica sensim attenuata, subrostrata; lunula lanceolata, violaceo lineata; area angusta, profunda, vix distincta. Long. $20\frac{1}{2}''$; alt. $13\frac{1}{2}''$; crass. fere $10''$.

Patria . . .

Forma satis convenit cum V. texturata, intus-punctata, aliisque, sed sculptura valde peculiaris. Striae transversae admodum regulares, mediocriter distantes, satis profundae; interstitia superficialiter crenulata, seu striis radiantibus obsoletis decussata. Etiam color, lineae tenuissimae, ad telae araneae instar, valde distinctus. — Apices ad $\frac{1}{6}$ longitudinis siti sunt.

28. *Cardita excisa Ph.*

C. testa parva, transversim oblonga, gibba; margine antico perpendiculari; ventrali profunde sinuato; costis circa 19, rotundatis, conserte squamosis; interstitiis angustis; lunula impressa, late cordata. Long. $5''$; alt. $3''$; crass. $3\frac{1}{3}''$.

Patria: Insulae Sandwich.

Primo adspectu haec species C. calyculatae L. simillima est, sed differt: margine ventrali longe latius et profundius sinuato; interstitiis costarum longe angustioribus; squamis costarum consertioribus; lunula longe majore Color albus, maculis pallidis ferrugineis conspersus,

29. *Area granulata* Ph.

A. testa oblonga; lateribus superne subangulatis, postico infra rotundato, subextenso; liris radiantibus angustis, numerosis, confertis, granosis; costis in latere postico 4—5 bipartitis, granulatis; interstitiis laevibus; colore albo; epidermide rufo-fusca, haud setosa; area ligamenti angusta. Long. $18\frac{1}{2}$ "'; alt. 11"'; crass. $7\frac{1}{2}$ ".

Patria: Insulae Sandwich; communicavit cl. Griffith.

Num A. lima Reeve Conch. icon. f. 101 ex insulis Philippinis eadem? Forma fere omnino convenit, nostra tamen paullo minus elongata, (illa $25\frac{1}{2}$ " longa, modo $12\frac{3}{4}$ " alta!) maximam altitudinem in regione apicum, non in latere postico (uti A. lima) habet; anguli laterum ad extremitatem areac vix ulli; lirae medianae nullae duplicatae, contra costae lateris postici distantes, bipartitae; color omnino albus, minime fusco tintetus, et postice usque-maculatus, ut in A. lima; denique epidermidem setosam vocare non possum, simpliciter imbricata est. — Ligamentum partem anticam areae non occupat.

30. *Area elegans* Ph.

A. testa ovata, aequivalvi, ventricosa, antice rotunda, postice oblique truncata, subangulata, alba; epidermide nigro-fusca, inter costas squamoso-setosa; costis circa 28, planis, angulatis, interstitia aequantibus, striis transversis confertissimis eleganter sculptis; area postice dilatata, satis profunda; ligamento posterius breviore. Long. $15\frac{1}{2}$ "; alt. a margine cardinali ad ventrem $10\frac{1}{2}$ "; ab apice 12"; crass. $10\frac{1}{2}$ ".

Patria: Yucatan, communicavit cl. Largilliert.

Magnitudo, forma, color fere exakte ut in A. obesa Sow. (Reeve Conch. icon. f. 3), sed latus dorsale posterius magis productum, extremitas postica igitur minus rostrata, et costae duplo pauciores. Apices valde involuti, ad $\frac{1}{2}$ areae dorsalis siti, sed ligamentum anticam areae partem totam, posticae partis autem modo dimidium

occupat. Sulei in ligamento recti, perpendiculares; ligamentum in iis lamellas elevatas format.

31. *Arca parallelogramma* v. d. Busch.

A. testa oblonga, alba, sulcis circa 27 angustis exarata; interstiiis anterioribus sulco minore bipartitis; epidermide fimbriato-squamosa; margine ventrali rectilineo, cum dorsali parallelo; extremitate utraque rotundata, ad marginem dorsalem angulata, antica breviore; area angusta. Long. $13\frac{1}{2}''$; alt. $5\frac{2}{3}''$; crass. $5\frac{1}{4}''$.

Patria: ; exstat in collectione cl. von dem Busch.

Species forma et sculptura sua valde insignis. Margo ventralis rectilineus, dorsali plane parallelus; extremitas utraque fere aequaliter rotundata, ad marginem dorsalem angulata; apices ad $\frac{1}{3}$ longitudinis siti. Sulci impressi, angusti, propter strias incrementi non raro punctati; interstitia plana, laeviuscula, anteriora sulco minore divisa. Epidermis, versus marginem ventralem modo residua, squamosa.

32. *Unio cyrenoides* Ph.

U. testa trigona, tumida, valde inaequilatera, latere postico subrostrato, subcostato; epidermide nigra, concentrica lamellosa; dentibus cardinalibus validissimis, anticis in utraque valva duobus, quorum anterior multipartitus. Long. $20''$; alt. $16\frac{1}{2}''$; crass. $14''$.

Patria: Lacus Nicaraguae; communicavit cl. Largilliert.

Hanc testam si clausam adspievis pro Cyrena nec pro Unione habes; forma et epidermis enim omnino ut in Cyrenis sunt, sed magis inaequilatera est. Apices ad quintam longitudinis partem siti sunt, latus anticum fere rectilineum, posticum duplo fere longius, arcuatum. Extremitas antica vix angulata, rotundata, postica satis acuta. Suleus latus et parum profundus costa rotundata haud

multum conspicua posterius cinctum ante marginem posticum decurrit. Superficies in hoc sulco striis radiantibus et transversis decussata, granulata; caeterum in parte postica striae transversae incrementi consertae multo magis conspicuae quam in antica. Dentes laterales in cardine valvae dextrae duo, interior minor. Margarita alba.

33. *Unio Largillierti Ph.*

U. testa oblonga, subtriangulari, inaequilatera, tenuissima, compressa, anterius subrugosa, obscure aurita, postice in angulum elevatum, rectangulum producta; valvis connatis; apicibus minimis hand prominentibus; sulco dupli ab apice ad extremitatem posticam decurrente.

Patria: Yucatan, specimen juvenile debo cl. Largilliert.

Species pernobilis, ad genus *Dipsas* Leachii pertinens. Margo dorsalis absque ala postica lineam rectam describit, et cum extremitate antica rotundata angulum distinctum etsi obtusum, sed vix aliam vocandum format; margo ventralis parum arcuatus, dorsali fere parallelus, margo posticus obliquus fere recta in alam continuatur, quae superius angulum rectum format, et extremitate sua apices tangit. Apices ad $\frac{1}{3}$ marginis cardinalis siti minimi sunt. Rugae concentricae in extremitate antica conspicuntur, in postica sulci duo, ab apice decurrentes. Superficies caeterum laeviuscula est, et epidermide pallide cornea tegitur. Cardo valvulae dextrae lamina recta, angusta, postica et dentibus duobus lamellaribus antieis constat; valvulae sinistrae dentes duos lamellares posticos habet, quorum interior sub ipso apice in dentem late triangularem elevatur; antice dens laminaris unicus adest.—Differt ab *U. plicato* (*Dipsade*) Leach testa angusta, ala antica nulla, postica usque ad apicem producta, sculptura etc.

34. *Unio Aztecorum Ph.*

U. testa elliptica, oblonga, tumidiuscula, postice altiore, linguiformi, compressa; valvulis satis tenuibus; natibus subprominentibus compressis; epidermide fusca; dentibus cardinalibus parvulis; lateralibus longis curvisque; margarita purpurea et iridescente. Long. 27"; alt. 14½"; crass. 8".

Patria: in Republica Mexicana legit cl. Liebmann.

Forma fere exakte eadem atque in U. ripario Pstr., sed margo dorsalis anticus magis declivis; nec cardo multum diversus. Inter species Americae borealis U. tortivus Lea Obs. etc. p. 42. t. 12. f. 17 maxime cum nostro forma, cardine, colore margaritae etc. convenit, sed extremitas anterior antice magis adscendit, margo dorsalis anticus minus declivis, extremitas postica vero angustior et longe magis compressa est quam in nostra specie. — Apices erosi.

35. *Unio mexicanus Ph.*

U. testa oblonga, subelliptica, tumidiuscula, posterius subrostrata, oblique truncata, obscure carinata; valvis satis crassis; apicibus subprominentibus, tumidulis; epidermide fusca; dentibus cardinalibus satis validis, lateralibus longis, subrectis; margarita purpurea et iridescente. Long. 29"; alt 16"; crass. 11".

Patria: Mexico, legit cl. Liebmann.

Epidermide, margarita, forma cum U. Aztecorum satis convenit, et forte modo varietas ejus est, differt tamen: linea cardinali seu dorsali magis recta, dentibus lateralibus rectis, longioribus; extremitate postica oblique truncata, subrostrata, minus elevata; carina obtusa ab apice ad extremitatem posticam decurrente; valvulis crassioribus; dentibus cardinalibus validioribus. In uno specimine in latere postico sulci radiantes 2—3 parum distincti inveniuntur, quorum in altero vix vestigium.

36. *Unio Liebmanni Ph.*

U. testa ovato - oblonga, tumida, inaequilatera, posterius subrostrata, valvulis crassis; natibus subplicatis, prominentibus; dentibus cardinalibus magnis, antico obliquo; lateralibus praelongis a cardinalibus separatis; margarita purpurea; epidermide nigra. — Long. 46^{'''}; alt. 26^{'''}; crass. 20^{'''}.

Patria: Mexico, legit cl. Liebmann.

Testa quoad ambitum U. tumido nostro vel U. disco Lea (Obs. II. p. 74) simillima, cum hoc etiam valvis crassis, dentibus lateralibus, margarita purpurea, statura convenit, sed differt: 1) testa multo magis tumida, 2) dente cardinali antico obliquo nec perpendiculari. — Umbones valde detriti, in uno specimine autem sulci perpendiculares, etsi parum profundi, lineam fere distantes et fere pollicem ab apice remoti distinguuntur.

37. *Unio subtrapezius Ph.*

U. testa subrotunda, subtrapezia, compressa, anterius acutiore, rotundata, posterius altissima, triangulata, angulis rotundatis; plicis undulatis ab apice usque ad marginem radiantibus, nonnullis inferius divisis; epidermide pallide cornea, apicibus vix prominulis. Long. 9^{1/2}^{'''}; alt. 8^{'''}; crass. 4^{1/3}^{'''}.

Patria:

Similis U. membranaceo (Mya) Maton, sed longe minus inflatus, postice longe elevatior, ter angulatus; margo ventralis rectilineus; plicae usque ad marginem continuatae, etiam bifidae.

(Continuabitur.)

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Zeitschrift für Malakozoologie](#)

Jahr/Year: 1847

Band/Volume: [4_1847](#)

Autor(en)/Author(s): Philippi Rudolf Amandus

Artikel/Article: [Testaceorum novorum centuria 84-96](#)